

præmisit; qui per vada eo ab latere, quod ad orientem spectat, oppidum aggrederetur. vadis autem ea parte insula maxime cingitur. Is accelerans per Diorictum in vada se se inferens, duodecim biremes, quæ ibi stationem habebant, eaque maria percurrentes, Venetorum navibus infensiſſimæ diu fuerant, & tunc, ut aditu classem prohiberent, occurrabant, omnes fugavit, pauloque post vacuas hominibus occupavit, cum ii se se raptim in litus ejecissent: quos oppidanī fugientes receperunt. Iis captis, quod illis in vadis erat a continenti ad oppidum via aquis recta, sic, ut equites commeare ea possent, ibi naves aliquot disposuit: quibus navibus Thracum turmas equitum tres, qui per illam viam, ut essent oppidanis auxilio, vicinis ex locis adventabant, repulit: cum tamen antea munitionem pro tempore, quæ transitum impediret, media in via effecisset. Ea Thraſes munitione retardati, dum perrumpere conantur, tormentis se navium vulnerandos præbuerunt: amissisque per pluribus, duce eorum equo dejecto, nulla parte munitionis perrupta, unde venerant redierunt. Atque idem interea legatus suorum militum partem equitesque omnes, quos in navibus eam ad rem habebat, cum primo adventu in terram exposuisset, atque ad oppidum contendere jussisset: illi itinere, quod quidem erat passuum millium quatuor, celeriter confecto, circumvecti audacissime pugnantes, eo ipso die prooppidum capiunt. Pisaurus præfetus, quem mari reliquam classem ventis non secundis, qui eo die flaverant, circunducere oportuit, postero die ad oppidum oppugnandum se se contulit, ac muros quatere tormentis cœpit. Erant in oppido milites Thraſes quingenti, qui se acerri me una cum oppidanis defendebant. ii cum magna tormentorum vi oppugnatione non intermissa premerentur, septimo die deditio nem facere voluerunt. is fuit dies ad diem tertium calendarum septembribus. Sed dum inter se ea de re consulunt, militibus irrumpentibus oppidum capitur. ipsi atque oppidanī captivi facti, præda omnis viritim divisa. Hostes prima oppugnationis die Gabrielem Superantium triremis præfectum

*Et expugna tur.*